



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

SS. Innocentes MM.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

deinde excurrit (senio alas amore ministrante) visamque prædam tamdiu insequitur, dum lacrimis suis sistit, canisque, & amplexibus inpeditam in viam reducit. Cessit itaque feliciter hæc venatio. Hodie multæ ejuscemodi fera pereunt, quia retia fugiunt, maluntque ab orco rapi, quam à cælo capi, *Ex Bar.*

## SS. INNOCENTES M M.

28. Decembris.

**M**ala omnia nunciabat Herodi nunciis à Magis allatus. Quid? mea demum corona erit, quæ duos Reges ferat? aut regni mei alienum heredem vivi spectabunt liberi? vivus ego? quin caput illi nunc aufero, ne ille diadema mihi? purpuram si ambit, domi habet; suo pingat de sanguine. At ne novi quidem hostem meum. Hoc plus etiam metuo. Certè infans est. Pereat hic omnis in regno, ut unus ille pereat. Etiam innocens? jam nocens est, qui hostis est. Sed qui hostis? quia ego hunc timeo. Sed tyrannum dicent. Nimirum vetus hoc Regis nomen est. I, miles, omnes simulorum cunas evertet; balneum his para cruentum, sed dignum hoste. Hæc ille; cum interea Angelus parvulum Regem, magnamque exulem in Ægyptum, gloriosâ fugâ, deducit. Saviit nihilominus barbaras mucro. Vbi que clades, & funera. Vidisses majora vulnera,

nera, quam corpora, plus lactis fundi quam sanguinis; hunc saxo, illum capulo frangi; hunc e gladio, illum ab hastâ pendere, multis teli vicem militis vultum esse. Dedit tamen poenas tyrannus: morborum enim omnium theatrum factus, eodem anno, cum tot homicidia paricidio insuper maximi natu filii cumulasset, vitam regnoque excidit, periitque. At prætextata illa turba cælo scilicet vivit, ridetque etiamnum tyrannum, quod talis infantes timerit. *Ex Bar. & Saliano.*

§. THOMAS EP. M. 29. Decemb.

**N**on jam primum sanguine piorum nigaris Anglia. Iam olim fuso THOMÆ cruori fructum debebas, nisi eheu! sterilitatem hæresis induxisset. Sed ego ad THOMAM me verto. Adolescens cum eripere aquis accipitrè laboraret, ipse iisdem pæne abreptus est. Sed mollæ rota exitiû aliàs adnatantibus, runc sponte suâ consistens, THOMÆ seclâ fuit. Debebatur scilicet diutius Angliæ regno, cuius Cancellarius postea creatus à rege est. Paulo post hic insulam Cantuariensem addidit, quam tanti THOMAS fecit, ut hanc postea regi edictis impiis contra Ecclesiam pugnantem non dubitavit opponere; quin solâ cruce armatus cum irato congregi. In illâ pugna, ut amat fieri ad tribunas

Y y 5 lia,